

L X I.

251

Vulgavit Gruterus pag. DLXIII. 1., & Tarracone apud Cittereros extare scripsit. Legionem VII. in Hispaniâ commorata fuisse ex Dione constat; Propterea C. Tadius Lucanus ejusdem Legionis Centurio benemerito liberto Tarracone titulum posuit. Tadium gentem Pisauri haud obscuram fuisse docet nos marmor *Tadia C. F. Barbilla* a Plebe Urbana positum. Vid. n. XLII.

L X I I.

CAlpena gens primum in lucem prodit ex Beneventanâ Inscriptione editâ in Gudio pag. CCCLIV. 1. Lartiam gentem Pisarensem iterum exhibet marmor, quod dedimus n. XLV.

L X I I I.

ARTEMIDORI. F. Si Patre cive Romano Rhetor noster natus fuisset, ille de more Romanorum prænominis, non autem nomine, in lapide appellatus fuisset. Hinc intelligimus L. Acutium Tryphonem primum ex suâ gente, Græcâ fortasse, ut ex Artemidori patris nomine suspicari possumus, fuisse, qui civitate Romanâ frueretur, Romanaque proinde nomina assumpsisse, quæ idcirco patri desunt, quod eadem caruerit. Duobus modis ingenuus homo, peregrinæ tamen conditionis, civitatem Romanam acquirere poterat; aut largitione Populi Romani, vel Principis, ad quem lege Regiâ omnis P. R. potestas translata est, seu Imperatoris alicujus, cui P. R. jus dandæ civitatis detulisset, ut L. Cornelius Balbus, quem Cicero luculentissimâ habitâ oratione defendit, qui a Cn. Pompejo civitate donatus est; aut emptione, ut Centurio ille, de quo Actor Cap. XXII. n. 28. sacræ literæ meminerunt. Quomodo Trypho noster civis Romanus evaserit, sciri non potest. Si id largitione populi aut Principis assequutus fuisset, illud affirmare possemus, L. Acutii alicujus beneficio eandem civitatem obtinuisse. Solebant enim novi hi cives illorum sibi nomina asciscere, quorum suffragiis civitate donati fuerant; ita idem Balbus Gaditanus, quem memoravimus, L. Cornelius Balbus dictus fuit, quia L. Cornelii Lentuli gratiâ a Pompejo civitatem consequutus fuerat.

RHE-